

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri  
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta  
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Idvmaevs.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

*L.* f) Hæc res plane ex Deo orta est, neque nos omnino possumus repugnare tibi. *B.* Ita habet. Proinde habe tibi Rebeccam tuo arbitratu, eamque ducito nupturam hero tuo, sicut visum est Jovæ. *D.* Gratiam habeo DEO primum, qui ita voluerit: deinde vobis, qui non repugnaveritis. Tu vero Rebecca, & vos, non recusabitis hæc quantulacunque dona, quæ attuli jussu mei domini.

## SENTENTIA.

*Deus dirigit pios in viam, eorumque actiones secundat.*

IDVM AEVS. Genef. 25.

## ARGUMENTVM.

Esavus vendit Jacobo fratri prærogativam ætatis.

*Esavus, Jacobus.*

**I**mperi mihi de rufo isto: nam redeo rure exanimatus laßitudine. *J.* Vende mihi in præsentia prærogativam tuæ ætatis. *E.* En ego jam jamque emorior: quo mihi istam prærogativam? *J.* Ergo confirma mihi jam nunc venditionem jurejurando. *E.* Confirmo, quid vis? juro, addico: Nihili facio jus istud ætatis præ edulio.

## SENTENTIA.

*Brevissima voluptas hominem privat perpetuis bonis. Idem usu veniet impiis, qui amore carnarium voluptatum prodigunt bona cælestia.*

## VENA-

*f)* Ex felici negotiorum progressu sœpe animadvertere licet adesse Deum,

B



## 18 DIALOG. SACRORVM

VENATOR. Genef. 27.

## ARGVMENTVM.

Jacobus arte materna prævertit a patre felicitatem Esavi. Esavus serius veniens, frustra lachrymatur.

*Rebecca, Jacobus, Isaacus, Esavus.*

**P**ater tuus misit venatum fratrem tuum Esavum, me audiente, ut afferat ferinam, ex qua confectum pulpamentum ipse edat, eique bene precretur a Jova, antequam moriatur. Nunc audi, fili mi, quid velim a te fieri. Adi pecus, & inde afferto mihi duos hædos opimos, ex quibus conficiam patri tuo edulium, quali maxime delectatur: quod offeres ei, ut tibi bene precretur, priusquam excedat vita. *F.* Sed frater villosum est; ego depilis. Quod si forte pater me attrectaverit, putavit se mihi esse ludibrio. Itaque mihi male, non bene precabitur. *R.* <sup>a)</sup> Istam imprecationem ego præstabo, nate? tu modo gere mihi morem. *I.* Si ita jubes, certum est obsequi. Eo. *R.* Mihi magnopere curandum est, ut agam hanc rem callide & prudenter, ne meus maritus deprehendat fallaciam. Nam ut amat rusticum illum Esavum, nunquam eum postponet Jacobo, nisi fraude <sup>b)</sup> inductus: Ego vero

<sup>a)</sup> Obediendum est sapientiæ, quamvis periculosa præcipere videatur.

<sup>b)</sup> Quando sancti fraudem faciunt, & habant de ea mandatum Dei, tum est quidem fraus in conspectu hominum, sed est sancta, justa & religiosa fraus Luth. in h. 1.

